DE

GASTRITIDE CHRONICA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

PRO MEDICINAE LAUREA

RITE ASSEQUENDA EDIT

ANTONIUS FAI

PATAVINUS

PATAVII

EX TYPOGRAPHIA SICCA

1847

DE GASTRITIDE CHRONICA

Morbus haud rarus in praxi, variisque stipatus phaenomenis, per neotericorum observationes anatomicas elucubratus, sistit absque dubio chronica et clandestina gastritis. Ejusdem symptomatologiam atque varietates primus omnium detexit eximius Brousseais, qui novum de chronicis intestinorum inflammationibus Medicinae addit decus. Non dicam et antiquioribus omnino ignotum argumentum fuisse; sed tantummodo hi quodammodo criminantur, quatenus formas symptomaticas cardialgiae, dyspepsiae, pyrosis etc. laesis systematis nervosi functionibus, potius quam lentae phlogosi tribuerunt: quapropter inconsulto ad alexipharmaca, ad opiata, aliaque stimulantia confugiebant. Dantur quidem et cardialgiae ex spasmodica conditione ingeneratae. Sed quoties incassum narcotica atque antispasmodica adhibentur, dum e contra paucis hirudinibus ad epigastrium admotis, et sub usu eccoproticorum, dolor remittit?

Hic adnotare juvat, quod sub nomine gastritidis chronicae plures laesiones organicas, ab aliis tanquam morbos speciales descriptas, puta ex. gr. carcinoma ventriculi, comprehendimus. Ne quis in medium ferat varias illas laesiones jure meritoque esse discriminandas, et relate ad formam eminentem, et praesertim ad probabilitatem sanationis obtinendae; evictum enim est elementum commune, scilicet phlogosim praeprimis lentam, ad illas ingenerandas atque comitandas suam symbolam conferre. Porro animadvertendum est

sub tanta organicarum perturbationum varietate, symptomata essentialia causasque occasionales, imo therapiam ipsam nihilum mutari.

Sed undenam causa proxima tot diversarumque conditionum pathologicarum? Undenam mox emollitio, mox induratio, mox exulceratio procedunt? Hanc varietatem nec per intensitatem, nec per durationem gastritidis explicare valemus: etenim, monente praeclaro auctore, eo graviores interdum laesiones deprehenduntur, ubi signa phlogoseos fere nulla praecesserunt. Quid igitur concludendum? Etiamsi judicium adhuc praematurum foret ex eo, quod paucis tantum abhinc annis sedulae instituuntur observationes; tamen, ut aliqua hypothesis haud despicienda proferatur, admittere oportet praedispositiones individuales, sive haereditarias, sive acquisitas; forsan et naturam substrati organici eminenter affecti; denique et gradum ipsius phlogoseos, varias formas anatomico-pathologicas, quae in ventriculo obveniunt, explicare: qua de re evincimur quomodo therapia antiphlogistica, sicuti tardius videbimus, contra unum tantummodo et secundarium elementum, nequaquam contra praedispositionem morbosam agendo, insufficiens plerumque fiat.

Priusquam vero ad Nosographiam deveniamus, meminisse juvat sub illa generali denominatione varios exitus organicos comprehendi, contra quos therapia antiphlogistica prodesse videtur.

Nosographia morbi.

Ventriculus, cujus nemo mirabilem in homine cum quovis viscere et cum universo corpore consensum ac servitutem, non minus quam in singula imperium ignorat, praeterea ob variam ejusdem positionem, capacitatem atque extensionem, dum morbo corripitur, non parva nascitur in multis casibus difficultas, quem ad locum morbosa referri debeat sensatio. Et si haec dif-

ficultas morbos acutos respicit, eo magis in chronicis obviam venit. Revera praecipua signa gastritidis acutae in febre continua-angiosthenica, in epigastrii tensione, ardore, dolore, in vomituritione, anxietate, singultu, delirio, photophobia, atque linguae rubedine consistunt.

In gastritide chronica dijudicanda plures habentur difficultates, namque et symptomata capitis consensualia, et febris continua, et linguae morbosa conditio quandoque penitus desiderantur. Utcumque vero sit, diagnosis ex sedula omnium phaenomenorum investigatione depromitur, quae in localia et generalia, in continua et intermittentia, vel aptius recurrentia, dividuntur.

Generatim loquendo, vario modo digestio a norma aberrat. Appetitus mox est adauctus, mox imminutus, mox indole peccat. Nonnulli aegroti tantam pro cibis voluptatem acquirunt, ut nisi illi obtemperent, dysphoria, sensu tensionis in epigastrio, imo et deliquiis corripiantur; verum etiam si hae molestae sensationes desuper usum alimentorum imminui videantur, nihilotamen post aliquod tempus majori cum intensitate saeviunt. Aliis in casibus talis est anorexia, ut propter cujuscumque cibi defectum, vires atque nutritio sensim sensimque pessumdentur, pulsus debiles, parvi fiant, et aeger veluti phthisi detentus videatur. Hoc dependet ut plurimum ex ventriculi ipsius intolerantia, atque ex ingentibus doloribus, quos aeger abstinentiae ope vitare conatur. Haec omnia non sufficiunt: namque adsunt qui unum ciborum genus optant, unde malacia, pica, aliaeque famis abnormitates.

Sitis modo nulla est, modo eminens symptoma constituit, speciatim horis lucanis post somnum, aut vespertinis sub digestionis munere: tunc aegri ingentem potum sumunt, et exinde magnam urinarum copiam eliciunt; accedentibus urinis albescentibus aut coloris straminei, ita ut morbus cum diabete, primo intuitu, confundatur.

Materies per emesim vel aeriformes vel liquidae rejiciuntur; sub gasosa forma autem ructus atque oris amaritiem producunt. Substantiae hujusmodi gasosae possunt efformari vel ante vel sub tempore prandii, atque tali interdum quantitate, ut respirationis functionem quodammodo impedire valeant: frequentiores tamen occurrunt sub digestionis actu. Sunt casus in quibus, diaetetici gratia regiminis, saltem pro tempore illarum efformatio substantiarum suspenditur. Nausea vero et vomitus, vel continui esse solent vel intermittentes, et postremo hoc in casu tanquam effectus influxus nervosi merentur considerari; quavis diei hora, et summo mane vacuo jam ventriculo, et post ciborum ingestionem contingere possunt. Si materies, quae per emesim rejiciuntur, considerare velimus, videbimus interdum illas constitui ex muco in fila disposito, absque sapore, saepius vero indolis acris, unde evenit pyrosis. Mucus hujusmodi rejici potest, quin alimenta eodem tempore rejiciantur. Accidit non raro, ut et sanguis ipse per emesim vomatur, quod praesertim sub fine chronicae gastritidis contingere solet, mortemque proximam imminere designat. Nec desunt casus, in quibus vomitus sanguineus sub morbi exordio locum habet; et tunc princeps symptoma est gravissimi morbi dein evoluturi. Interim alimenta vel ex toto, quo ingesta fuerant volumine, vel pro parte tantummodo rejiciuntur, vel immediate post prandium, vel post temporis decursum plus minusve longiorem, praesertim si vel obstructio quaedam, vel scirrhosa adsit degeneratio pylori. Tunc ventriculus distenditur, inferiora versus plus minusve descendit, nonnullis in casibus ad cristam iliacam usque. Vomitus interdum pari passu cum morbo ipso perdurant, alias nonnisi sub exordio illius, alias demum sub finem tantum adparent.

Si de dolore loqui velimus, hic plerumque symptoma constans non est; deesse enim potest, quaecumque dein per autopsias laesionum varietas obser-

vetur. Existit generatim vel continuus, vel intermittens; fortiter saevit interdum, cutaneae transpirationis suppressionem de repente inducit, convulsiones gignit, et posteaquam tanta intensitate ac ferocia decurrerit, illico disparet. Hujusmodi sub praesentia doloris fieri saepius potest, ut cutis flavo tingatur colore, icteri ad instar; qua de causa nomen illi imposuerunt *colicae hepaticae,* quin tamen illud viscus minime patiatur. Species illa epigastrici doloris, quae venit sub *colicae ventriculi* nomine, saepissime tanquam affectio mere nervosa jure ac merito consideratur. Hoc tamen, datis sub rerum circumstantiis, veritatem praeseferre videtur; sub aliis e contrario dolor ille cum chronica gastritide conjunctus decurrit, illaque cessante, et ipse evanescit. Tunc quum dolor continuus est, de more stipatur minori intensitate; tunc autem quum per intervalla recurrit, et propter ingesta alimenta et propter animi adfectus, utplurimum saevire solet. Sedes ejus varia quam maxime est.

Omnia vero, quae nuper exposuimus, phaenomena vel una simul existere queunt, vel alterum alterius sequi evolutionem, aut nonnisi ad intervalla sese manifestare: quo in casu persuasum omnino est aegrotantibus ad sanitatem se restitutos esse; unde nec medicum consilium advocabunt, nisi cum morbus eo pervenerit, ut cuilibet artis auxilio pervicaciter resistere possit.

Gastritis chronica symptomata exhibet minus generalia, quam si acuta decurrat. Raro enim accidit ut centra nervosa in compassionem trahantur: cephalaea tamen aliquibus in casibus plus aut minus violenta gastralgiam concomitatur. Sunt qui aliquam sensuum alterationem patiuntur, non intelligunt, non judicant ipso eodemque modo, quo sub normali rerum conditione. Fit tum et quando, ut durante tempore digestionis aegrotantes ideas sibi pingant vagas et multiplices, et ipsa hypochondriasis tanquam effectus chro-

nicae gastritidis saepius considerari possit. Alias, integro perdurante morbo, solemnis incedit corporis emaciatio, membra fiunt angulosa, facies cadaverica, pulsus debiles et parvi, quae cunctis morbi phasibus subjiciuntur, cum illo augentur vel imminuuntur.

Inter symptomata gastritidis chronicae constantiora constipationem recensemus, quam imminui vel augeri cernimus prouti ventriculi conditio melior vel pejor reddita sit.

Lingua suum normalem adspectum plerumque servat; magis tamen in dorso suo pallet, praesertim si induratio ventriculi enata sit. Interdum rubro magis tingitur colore universa in superficie, vel in apice tantum, vel in marginibus. Perquam attenta consideratione adhibita, rubrae etiam ac veluti igneae conspiciuntur papillae, quas tamen frequentius pallidas atque elatas invenies. Lingua insuper vel humida est, vel sicca, vel in rugas contracta, quemadmodum licet observare post somnum. Aegrotantes nonnulli sensum aliquem irritabilitatis in lingua persentiunt, et prae aliis de sensatione caloris conqueruntur. Os saepissime amarum est, pastaceum, siccum; aphthae dein evolvuntur; interdum ipsae gingivae alterationem subeunt, atque dentes flavicante obteguntur velamine; salivae secretio adaugetur, et nimia peccat aciditate.

Quoad sanguinis circulationem, haec rarius morbosum experitur influxum, et saepissime aegrotantes pereunt, quin reactio febrilis, excepta tantum pulsus frequentia, manifesta foret. Febris tamen interdum adparet ad temporis intervalla tantummodo, et pari passu procedens cum morbi ipsius exasperationibus. Vespertinis praesertim horis, nec non post ciborum ingestionem, haud raro pulsus acceleratio observatur. Sub digestionis actu facies plerumque rubescit, dum cutis in reliquo organismo solet pallescere. Ultro autem increscente morbo, cutis semper livida eo magis et flavicans redditur, quod per se degenerationem

scirrhosam in ventriculo denotat. Interim in cute ipsa quamplures nocuae affectiones sedem figunt, quae, nonnisi morbo principe fugato, evanescunt.

Adparatus organorum respirationi inservientium nullum saepius fert nocumentum a praesentia gastritidis chronicae. Nihilo tamen secius evolvitur interdum tussis, quae cum morbo eodem augetur; et aegrotantes saepius in soporem incidunt, qui tamen ex alia et longe diversa causa promanare potest.

Secretiones biliosae et renales nullam generatim subeunt modificationem hoc decurrente morbo; nec contrarium animadvertitur in cute, quae plerumque sicca est. Si tamen copiosi adparent sudores, isti alterationem patiuntur; raro demum in casu hydrops anasarca in fine morbi supervenit.

Aetiologia morbi.

Ad gastritidem chronicam ingenerandam conferunt eadem momenta, quae gastro-enteritidi acutae favent, eo tantum discrimine, quod in illa causae morbificae sunt minus intensae, sed admodum protractae.

In gastritidem chronicam disponuntur subjecta labe rhachitica aut scrophulosa donata, quorum ventriculus eminenti gaudet sensibilitate; frequentius in infantibus inter primum atque sextum, nec non in adultis intra trigesimum et quadragesimum annum recurrit; porro febres gastricae aut biliosae repetitae.

Generatim loquendo, momenta occasionalia sistunt continuatus ciborum, potuumque irritantium, acrium, fermentatorum, uti ex. gr. vini, alcoholis, piperis, aut alimentorum largiter conditorum abusus; unde persaepe in subjectis arthritide laborantibus clandestina generatur et substinetur gastritis. Sequitur exinde consuetudo alimenta adhuc ferventia desuper usum frigidorum, aut viceversa, deglutiendi; praeterea usus diu continuatus catharticorum aut eme-

ticorum, vel etiam hydrargyri, arsenici, barytis, et sic porro. His accedunt animi pathemata vel maxime deprimentia, vita nimis sedentaria, occupationes intellectuales illico post pastum, et pessimum manustuprationis vitium. Pariter inter causas occasionales recensentur compressiones thoraculorum stringentium; denique efflorescentiae cutaneae chronicae, atque arthritidis, haemorrhoidum, catameniorum suppressio.

Læsiones anatomico-pathologicæ.

Dum gastritis chronicum tenet decursum, plerumque insidias in varios textus ventriculum componentes struit. Hae referuntur ad *colorem*, *consistentiam*, *densitatem* atque *formam*.

Quoad colorem plures habentur varietates, quarum nonnullae et in gastritide acuta reperiuntur, aliae tantummodo in gastritide chronica. In hac ultima color membranae mucosae griseus, plumbeus, aut nigrescens deprehenditur, ruber vel et atro-ruber in gastritide acuta. Quanam ex causa enarratae coloris varietates dependeant, hoc ab experimentis, quae clarissimi Hunter atque Vilson instituerunt, clare patuit: etenim, monentibus illis auctoribus, quotiescumque sanguis majori in copia ad aliquod viscus, aut ad membranam fertur, color ab initio ruber, deinde sub repetitis congestionibus illius laticis vitalis circulatio pedetentim lentior fit; unde et vascula dilatantur, et forsan globuli ipsi sanguinei colorem rubrum in plumbeum mutare valent. Ex varia igitur globulorum sanguinis cum textuum organicorum mixtione, nec non ex mutato ejusdem colore illud phaenomenum omnino dependet. Eadem ex causa dependet color bruneus atque ater in aegris a gastritide peremptis inventus. Quoad extensionem, modo adspectum morularum, modo guttularum variae latitudinis, inter quas textus mucosus vel albescens, vel ruber invenitur, enarrati colores exhibent.

Inter exitus frequentiores gastritidis chronicae adnotantur *induratio* atque *emollitio.*

Induratio (parecthama) est signum pathognomonicum chronicae gastritidis eodem modo, quo hepatisatio grisea est signum lentae pneumonitidis; imo in quocumque textu ille haud dubius sistit lentae phlogoseos effectus. Induratio mox integrum afficit ventriculum, mox aliquam ejusdem portionem; interdum absque coloris laesionibus, interdum cum decoloratione grisea aut brunea textuum proximorum obvenit. Hic exitus praesertim ubi glandulae et textus fibrosus redundant, nempe circa pylorum, et, utut minus frequenter, circa cardias detegitur. Non loquar hic de variis tumoribus, a nonnullis Anatomicis descriptis, in interna ventriculi superficie; etenim pro parte nil aliud sistunt, nisi indurationes partiales formae admodum diversae, eorumque descriptio taedium magis quam veram utilitatem lectoribus afferret. Induratio quandoque maligna in exulcerationem carcinomaticam abire solet; ulcus variae dimensionis, insulis osseis vel fungosis excrescentiis donatum, vasculis redundantibus et facile sanguinem plorantibus, sub inspectione cadaveris adparet; in centro cavitas profunda, coloris fusci, adspectus fungosi exstat, odorem cadavericum eliciens. Haec conditio ad carcinoma ventriculi pertinet, cujus existentiam peculiaris phaenomenorum adparatus clare demonstrat. Haec degeneratio, ad pylorum glandulis textuque fibroso divitem, crebrius quam ad cardias obvia, teterrimum omni intuitu cognituque difficillimum, omnesque medentis conatus eludens sistit malum.

Symptomata concomitantia esse solent ructus acidi vel foetidi, vomitus rebellis materiei chymosae, biliosae, vel etiam saniosae et graveolentis, murmura ventris, flatulentia, dolor fixus, acerbus ad epigastrium, a vomitu et pastu exacerbatus, in principio remittens vel intermittens, serius continuus, intole-

rabilis, omnem somnum arcens; transitoria post evomitionem euphoria, ardor gulae, singultus, angores, molestus famis sensus, quem sedare nequeunt aegri ob imminens cruciatuum, quod inde experiuntur, augmentum; quandoque manifesta ad regionem pylori durities, mobilis, ad tactum dolens; animi desponsio, febris hectica, diarrhoea colliquativa, macies universalis, mors denique placida vel convulsiva, quam desperabundi aegri ceu optatissimum vitae terminum expectant.

Obviae in quibusdam cadaveribus adhaesiones ventriculi cum propinquis organis (hepate, diaphragmate, peritonaeo) omni jure ad praegressam ejus superficiei chronicam phlogosim concludere sinunt; durante vita autem certis signis dignosci nequeunt, nisi absentibus aliis digestionis phaenomenis, ex vomitu post pastum, quo ventriculus repletus, ac vicinis arcte adhaerens partibus, quum debite expandi nequeat, ingratam patitur distractionem, atque violentiorem nisum in contractionem exerit, ad simile vitium concludere liceret.

Nec silentio praetereunda est illa singularis metamorphosis pathologica, speciatim membranae mucosae, in qua cohaesionis gradus eum in modum imminuitur, ut veluti massa pultacea liquescat, et quandoque spontanea accidat ruptura; recentiori tantum quo exatius observatam et gastro-malaciae nomine insignitam quidam auctores, praeeunte clarissimo Billard, phlogoseos praecipue lentae effectum esse contendunt. Verum sicuti non semper cum rubore conjungitur, ita ad mentem Gendrin tanquam exitus resolutionis organicae designatur.

Tandem exulceratio diffusa (etsi in ventriculo hoc rarius contingat, quam in intestinis tenuibus) simul cum emollitione observatur, magno stipatur periculo, namque pedetentim adeo extenditur, ut omnibus tunicis exaesis in ominosam perforationem terminetur. En

igitur posthuma organica in quae gastritis neglecta, aut insufficienti methodo tractata, abire solet.

Prognosis.

Etiamsi gastritis acuta periculi plenum sistat malum ex summo hujus visceris in gangraenam nisu, ex nervorum insigni copia, magnoque consensu cum cerebro; tamen saepe vidimus, quod sub apta et energica medela exitus inflammationis praepediri possunt. In gastritide chronica, utcumque raro symptomata consensualia capitis evolvantur, et demonstratum fuerit vitam, sublata etiam ejus functione, per plures dies persistere posse; tamen sive quod posthuma insanabilia relinquit, sive quod sanationi obstat impotentia interna retinendi pharmaca, eaque debito modo subigendi, ob faciles vomendi conatus, sive etiam ob laesum digestionis et exinde assimilationis atque nutritionis munus, vires pedetentim labuntur, reparatio organica labefactatur ita, ut horrida macie consumptum extinguatur corpus. Inter exitus organicos, scirrhus pylori et maxime carcinoma palliari quidem potest; sanationem tamen semper excludit.

Pessima symptomata sunt vomitus rebellis materiei cruentae aut saniosae, cum facie pallida, collapsa, pulsu debili atque miuro; dein singultus, angor, diarrhoea colliquativa, macies sicca, ipsumque hydrops. Omnia haec phaenomena profundam ventriculi laesionem designant, ideoque nulla remanet amplius spes.

Adsunt vero casus, ubi gastritis ad sanationem pervenit. Hoc fit dum agitur de morbo non admodum longaevo, atque ad circumscriptam ventriculi plagam extenso; dum membrana tantummodo mucosa adficitur; dum vomitus, cardialgia, pyrosis etc. raro sese ostendunt; dum vires atque nutritio non valde labefactantur; tandem sub apta medela phaenomena localia atque generalia imminuntur, et, quod magni est momenti, adpetitus atque digestionis functio ad normam restituitur.

Therapia.

Quod attinet ad therapiam congruam contra hunc morbum praestandam, haec omnium pene consensu elementa therapeutica simul et hygienica prospicere debet: priora in systema agunt sanguiferum, cutaneum, intestinale, et in ventriculum ipsum.

a) In systema sanguiferum. Sanguinis evacuationes institui debent hirudinum et cucurbitularum cruentarum ope, potius quam phlebotomia. Sed et hirudines tunc tantummodo admoveri debent, quum morbus iterum acutum decursum assumere videtur, et quum symptomatum omnium exasperatio contingat. Locus autem illarum adplicationi congruus, vel vasa hemorrhoidalia, vel ipsa sistit regio epigastrica. Aliis sub rerum circumstantiis noxiae quoque evadere possent, nervosum systema excitando; et praecipue si in nimia debilitate versetur aeger, permolestas sympathias determinare possent, uti dolores, nauseas, vomitus.

b) In cutem. Admoveri possunt sub hoc intuitu cataplasmata ad epigastrium, ad abdomen, fomenta pariter emollientia et narcotica, si forte saeviant dolores; balnea tepida vel cum aqua simplici, vel cum solutione amyli aut gelatinae, vel cum decoctionibus reliquis emollientibus. Invenietis modo aegrotantes, qui digestionem perficere nequeunt nisi in balneo versentur, et hisce potissimum in casibus hujusmodi prodest methodus medendi, si adeo beneficam secretionem ciere valet. Dum vero aegroti e balneo exsurgunt, ad augendam reactionem illiusmodi ipsos defendere juvat ope flanellae conspersae aliquo alcohole, eosque dein in lectulo deponere, in quo fomenta instituentur cum bacchis juniperi. Usus quoque commendatur balneorum calidorum una cum solventibus; ideoque persaepe solvitur in illis vel liquor hydrosulphureticus, vel sulphuretum potassae, etc. Nec ad elementa hujusmodi

therapeutica licet confugere nisi quum siccitas cutis augetur, vel systema nerveum irritationem patiatur. Balnea vaporosa aliquibus in casibus utilitate non destituuntur; hac de re commendantur a nonnullis aquae minerales Pyrmont, Baden, Aix et alia hujuscemodi. Si vero balnea haec nimis excitantia forent, eorum actio est coercenda gelatinae ope, quod semper optimo cum effectu usque ab initio patratur. In usum item trahuntur balnea salina artificialia vel naturalia, quemadmodum sulphurea et marina. Sed et rubefactio in cute produci potest per confricationem cum flanella sicca vel alcohole conspersa, cum panno, vel tinctura cantharidum, vel cum unguentis. Si aegrotantes de constanti frigoris sensatione ad plantam pedis conquerantur, fortioribus, rudibusque frictionibus ad artus inferiores submitti debent, nec non magno cum emolumento cucurbitularum adplicationi in regione epigastrica. Fieri debet interdum, ut aliquod suppurationis punctum statuere necessarium sit per vesicantium, moxae vel cauteriorum adplicationem. Picea emplastra, emplastrum ex tartato stibiato, frictiones cum pomata stibiata optimo cum successu plerumque non negligimus; nec desunt qui adplicationem cauterii commendant ad regionem epigastricam. Omnia tamen haec nuper exposita remedia si aliquando juvant, saepissime inutilia evadunt, quin imo nocumentum afferre possunt, dum signa inflammationis sat luculenter patent.

c) In intestina. Ad promovendas alvi evacuationes adhibere debemus clysmata ab initio ex aqua simplici, vel decocto emollienti confecta; deinde leviora purgantia, quemadmodum essent oleum ricini, lac, prunorum, amygdalarum et tamarindorum decoctio, quibus adjungi potest parva gummi arabici et mannae quantitas. Suppeditantur quoque in hunc scopum alia purgantia, inter quae magnesia vel sola, vel cum oxydo bismuti et similia, quae cum brevissimo tempore in

ventriculo degunt, illius irritationem localem nequeunt exasperare.

d) In ventriculum ipsum. Hoc sub respectu ad emollientia potissimum confugimus, atque in eorum selectu ut plurimum variare solemus. Tali pacto praescribimus aquam gummae, aquam cum lacte, dulciorem redditam cum syrupo gummoso, et sic porro. Generatim vero loquendo emulsiones suppeditantur. Illo praesertim in casu, in quo chronica gastritis jam a longo persistat tempore, et in quo jam a tempore etiam valde longo incassum potus mucilaginosi fuerint exhibiti, confugere tunc oportet ad substantias aromaticas, sicuti ad infusum chamomillae, tilliae, ad theata, ad aquas gasosas, ad usum alicujus amari, ut deinde per gradus ad extractum chinae et ad sulphatem chininae perveniatur. Praeparata quoque ferruginosa possunt exhiberi, sed caute admodum. Si symptoma quodvis emineat, illico compescendum est; et sic quum dolor vehementissimus est, ad narcotica statim confugimus, et fomenta cum aqua hyoscyami, vel etiam frictiones ad epigastrium cum acido acetico instituimus. Ad vomitus refraenandos vesicans in epigastrio adplicatur, et potus Riverii, aut glacies in usum trahitur, et frictiones aethericae peraguntur. Relate ad gasa, quorum praesentia sensationem saepe saepius valde molestam producit, eorum evolutio impeditur per usum aquae cum saccharo, continentis guttas aliquas aquae florum aurantiorum: adhibentur quoque pastae continentes carbonatem sodae.

Inter hygienica elementa, quae ad curam absolvendam gastritidis chronicae proponuntur, victus procul dubio principem sibi vindicat locum. Tunc quum morbus nimis inveteratus non sit, oportet omnino aegrotantes victui dulci, facilique digestu submittere. Si autem affectio diu duraverit, aegrotantes ipsi regimen hocce diaeteticum fastidiunt, quo in casu ipsum variare ut plurimum debemus; ac ea propter aliquod

suppeditamus leve excitans ad temporis intervalla. Fit interdum ut quaevis alimenta suspendere necessarium sit, ut lac iterum adhibeatur; et medicamina dulcia, quorum variet administratio pro tuenda tolerantia, iterum suppeditentur. Lac conjungi potest vel cum aqua, vel cum infusione mucilaginosa, interdum aromatica, ut illa florum aurantii. Si lac vaccinum perferri nequit, ad asininum confugiendum est, quod facilius digestionem subit. Caeterum quam maxima exstant discrimina in singulo aegrotante relate ad alimentorum simul et medicaminum tolerantiam. Quidam bene fert offam in butyro, oryzam et similia; quidam nec digerere potest. Hic jus ex pullo exoptat, alter nonnisi jus ex herbis substinet: ille appetit et digerit alimenta pinguia, ille e contra. Caro etiam alba generatim cuique placet, et cernes magis energicas prouti arietis tenelli, quamvis ab aliquibus melius digerantur, cautissime tamen praescribere debemus. Oportet vero semper aegrotantes hortari, ne alteri assideant prandio, nisi quum praecedentis digestio completa fuerit. Si vero debilitates patiantur, languores et similia, nulla opposita resistentia, votis eorum satisfaciendum est; cavendum tamen ne panis nimia in copia ingeratur, et ne ex integro appetitus expleatur.

Potus maxima pro parte casuum constitui debent ex aqua pura, vel leniter commixta cum vino amaricanti; aqua cum saccharo, vel aqua Seltz maximam utilitatem sibi vindicat. A potubus nimium frigidis generatim abstinendum est. Aegrotantes indui debent vestibus lanae super cutem, pedesque suos calore naturali non destituere, utendo caligis lanaceis: bene ergo corpus suum tegant; vitent tamen caloris excessus, qui digestioni possunt nocumentum afferre. Exercitiis gymnasticis moderate indulgeant, equitationi, natatui, et balneis potissimum marinis. Si tali detineantur debilitate, ut exercitia hujusmodi perferre nequeant, rhedis deambulatum eant. Sunt qui abhorrent

a qualibet hujusmodi exercitiorum specie, qui unum lectum suum praediligunt, atque in eodem tantummodo degentes digestionem perficiunt.

Si fieri potest, habitatio procuretur in climate temperato, in aëre puro et elasticitate praedito, et statio quaeratur versus Sud-Ovest. Cum fortes et tristes animi adfectus summum exerant morbosum influxum in gastritidem chronicam, majori, qua fieri potest, cautela vitandi sunt; et sic dicendum de laboribus intellectualibus diu protractis. Aegrotantes quidam solitudinem quaerunt; alii e contra delicia dulcis hominum conventus avide exquirunt. Summam in ipsos indulgentiam exercere oportet, et simul frequentius votis eorum, nec non cupiditatibus satisfacere.

THESES DEFENDENDAE

I.

Plus a natura quam ab arte sanatio plurimorum morborum dependet.

II.

Et natura et gradus morbi differunt pro variis regionibus et locis.

III.

Generaliter evolutio corporis in ratione opposita facultatum intellectualium.

IV.

Organon semel inflammatione correptum facile in recidivas est pronum.

V.

Maxima est relatio inter cutis et mucosae eruptiones.

VI.

Vomitus in apoplecticis lethalis, excepto saburrae casu.

VII.

Therapia quo simplicior eo melior.

VIII.

Gradus doloris non est in directa proportione cum distributione nervorum.

IX.

Quibus dolorifica sunt menstrua raro gravidae fiunt; et si fiunt, abortus plerumque sequitur.

X.

Nulla haemorrhagia tanti facienda est quam pulmonalis.

XI.

Hydrops, quacumque ex causa nascatur, curatu difficilis.

XII.

Terror morbos causare, et morbos sanare valet.

Indice degli Autori e delle Materie.

Vol. 235.